

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Molter, Georg Friedrich]: In actu receptionis novorum sociorum
orationibus salutatoriis respondit, 14 Jun 1794

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

In
actu receptionis
novorum Sociorum
orationibus salutatoris
respondit

J. F. Molter.
d. 14 Jun.
1794.

In
vinctis ubi
morum bonorum
institutis salutem
reponit
J. J. Meier
1774

Honestis
adversaria
literarum
pa. utiliss
sorum asi
parant or
Quod et Ve
dum erat
ri institut
studis in
sardisque
accedere
societate
intellexi

Director Gravissime!
 Socii Honoratissimi!

Honestissima semper et maxima laude digna
 adolescentum studiosorum est petitio, qui
 literarum excolendarum et praestantium at-
 que utilissimarum rerum discendarum occa-
 sionem assidue animoque serio et constanti
 quarunt oblataeque cupidi arripiunt.
 Quod et Vestrum, novi Sodales! laudan-
 dum erat consilium, cum huius praecle-
 ri instituti participes fieri optavistis, quia,
 studiis iuvenilibus provehendis amplifi-
 candisque et lingua praesertim Romana
 excolenda nihil quidquam, inelyta hac
 Societate accommodatius esse, probe
 intellexistis. Et nunc quoque Directoris

Reverendissimi beneficio voto Vestro po-
 titi atque Latinae linguae nunc magis ad-
 huc excolienda ac perficienda sicque omni-
 um quoque emolumentorum, quibus hic, qui
 bene illa versatus est, fruitur, percipiendos-
 rum, occasionem nacti estis. Quae emolumen-
 ta ex ~~hac~~ lingua huius cognitione origi-
 nem ducunt, ut paucis modo, beneficium
 Vobis concessum magis celebraturus, adtin-
 gam, uberrima profecto sunt. Egregium iam
 iam munus, quod praestat, videbitur, cogitan-
 tibus modo, eius ope veteris Latini auctores
 intelligere nos posse, qui in omnibus, quas
 susceperunt, doctrinis disciplinisque excellu-
 erunt et in quorum scriptis magna vis
 magnumque momentum positum est, ut

diligenti istorum tractatione ad huma-
niores quasvis atbiioresque artes et scientias
nobis patefaciamus viam. Nec hoc in mi-
nimis ponendum arbitror, ipsi patrio sermo-
ni perpoliando perficiendoque inservire Ro-
manorum linguam, cum illa perdiscenda,
quia absolutissima, maxime exculta et terra
est, largam optime delectorum verborum co-
piam colligimus, iustam vocum collocati-
onem, habilem illorum coniunctionem ne-
cessaque atque numerosam, concinnam rebus
que rite aptatam discimus orationem sic-
que cuidam in omni genere omnibusque
formis summa diligentia elaborata per-
fectaque aduersimus dictioni ac miram
simplicitatem, elegantiam, facilitatem,

urbanitatem, munditiam et gravitatem
 nobis comparamus inque ipsam vernacu-
 lam linguam transferimus. Multo gravi-
 ora adhuc huius sermonis sunt commoda,
 sed cum copiosior explicatio pleniorque huius
 materia, quam maximi iam viri iique doctis-
 simi omni, qui potuerunt, diligentia expo-
 nere, pertractatio neque temporis sit neque
 loci, leviter eam attingere iam sufficiet, ut
 intelligatis, quantum, hoc in Societatem, que
 familiaritatem cum lingua latina contra-
 hendo aptissima est, aditu permisso, Vobis
 sit tributum quantumque Vos Directori
 Benignissimo debeatis gratiam. Si bene
 hac oblata occasione utimini, pro ista bene-
 volentia optime grates Vos prestabitis.

et indefessa diligentia, assiduitate et attentione, re muneris Eum poeniteat certissime efficietis.

Loca Vos, Ornativissimi Juvenes! in Academiam professorum Sociorum nunc occupatis atque ut iure possideatis eademque, qua illi, laude et ut spem de Vobis conceptam non adimpleatis solum, sed multis quoque modis superetis, summa studebitis opera. Vos igitur omnia, quae Societati, per tot annos iam durantem dignitatem detrahere possint, maxima evitaturae cura et contra ardens constansque virtutis morumque elegantia custodienda et scientiae augenda studium ceteris omnibus antelatos esse, confidimus. Elaborationibus quoque, quantum fieri potest, bene

conficiendis, operam Vos daturus eoque, ut
 novitati et varietati in materiis studeatis
 utque praeclaras et memorata dignas veri-
 tates oratione pura, perspicua et venusta
 narratas proferatis, Vos spectaturas, liben-
 ter speramus. Ceterum, si quae irrepererint
 vitia, Directorem nostrum summe Veneran-
 dam, Cui nihil magis in optatis est, quam
 ut ex institutione Sua plurimum prove-
 herentur aliorum studia, omni diligentia
 ea emendaturam erroresque benigne animad-
 versuram esse, certum habeatis. Ex aliorum
 quoque elaborationibus, si, dum recitantur,
 ad pretium earum aestimandam attenderi-
 tis, duplex percipietis emolumentum. Pi.

mum, quae linguae emendantur vitia, ari-
 mo imprimenter, ab illis cavebitis; deinde,
 materiam variam multasque veritates audi-
 entis animo continebitis. Haec indies in lib-
 teris magis magisque procedentes, perfectio-
 nes sensim et ad altiores scientias aptiores
 semper evadentis maxque, quod plurimorum,
 qui abire, exemplo, abunde iam est. proba-
 tum, doctrina hac nihil fructuosius esse,
 sentietis. Prudentiae, eruditionis et sapien-
 tia institutiones aperto modo ac lato ari-
 mo excipietis et profecto labores successu
 non carebunt. Vestra sane culpa modo evet,
 nisi longe proveci hanc olim excedere-
 tis Societatem nec ad illam maximos

studiorum fructus referretis.

Nos quoque amice, Vos Optimos Juvenes!
 ac humare recepturos Vobisque, qua forte
 re dubitantibus, si sufficiamus auxiliatu-
 ros atque usui futuros, sinere et probe
 Vos tractaturos atque ^{ut} exemplo Vobis ante
 annus, studiosissime operam daturus esse,
 Vobis, quæso, persuadeatis. Grata quævis
 officiorum genera, quocumque in loco et tem-
 pore Vobis propenso animo parata esse a
 nobis, promittimus. Ego quidem, pro cete-
 ris nunc Vos Socios ordinarios recipio fa-
 lutoque et ut in eruditionis amplissimo
 campo ulteriores semper in hac Musarum
 communiõne progressus faciatis, ut

indies ad scientias altiores propius acceda-
tis, utque maxime fructuosum Vobis sit
hoc consortium reliquisque Sociis grata ac-
cassio, vehementer exopto. Pergatis modo in
eodem, quem inchoavistis cursu et certissima
praemia aliquando diligentia habebitis nec
unquam indefessa in litteris elegantioribus
pariter ac solidioribus addiscendis opera
et assiduitatis Vos poenitebit.

[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

Julia
18